

Band X., Nr. 4499, Seite 223-226

Graf Eberhard von Württemberg beurkundet, dass sein Streit mit Kloster Salem wegen der Gerichtsbarkeit von dessen Gütern in Nürtingen einem Schiedsgericht überwiesen worden ist.

Ulm, 1294. März 14.

Universis hanc litteram inspecturis Eberhardus comes de Wirtenberch fidem presentibus adhibere. Puniri debet minus aspere, qui se recogitat deliquisse nec reverti desiderat ad peccatum. Eapropter presentes noverint et futuri, quod cum inter nos ex una et venerabiles in Christo abbatem et conventum monasterii de Salem ordinis Cysterciensis Constantiensis dyocesis ex parte altera super possessionibus sitis in Nuirtingen vulgariter dictis die gebraiten et iure fori iudicialis quoad homines super bonis dicti monasterii ibidem residentes questio verteretur, nosque eosdem de Salem in aliis suis possessionibus sitis ibidem ac alibi multipliciter gravassemus et ob hoc ad instantiam eorundem gravibus fuissemus excommunicationis sententiis innodati, tandem nobis ad cor reversis questio taliter est sopita, quod nos de communi consensu unâ cum predictis de Salem super questione fori iudicialis predicta seu iure standi iudicio coram sculteto a nobis constituto, quod nobis pertinere asseruimus in predictis possessionibus et hominibus monasterii sepedicti, in nobilem virum Swiggerum de Gundelvingen dictum der Lange, virum strenuum Wolframum dictum von dem Staine militem, in viros providos Marquardum capitaneum civitatis in Ezzelingen, Rûdegerum Rûpertum civem ibidem, quibus venerabilem in Christo dominum abbatem in Bebenhusen aut honorandum virum dominum . . . decanum in Ezzelingen vel fratrem Zutelmannum novicium in Bebenhusen sociare debemus, compromisimus bona fide, ita quod illi quinque in tota vicinia a fide dignis inquirant sub debito iuramenti, quid iuris felicis recordationis quondam nobilis vir Bertoldus comes de Urach et nobiles viri domini de Niphen, quibus possessiones predictae cum hominibus in ipsis residentibus pertinebant, ipsorumque progenitores in homines seu colonos possessionum earundem in Nuirtingen habuerint a retroactis temporibus et quid nostri progenitores iuris ibidem habuerint, similiter inquirant et post inquisitionem si in nostram partem et sententiam omnes, quatuor vel tres ex eisdem consenserint, ius fori iudicialis predicti in hominibus seu colonis possessionum omnium, quas dicti de Salem a nobili viro domino de Niphen antedicto in Nuirtingen compararunt, nobis sit salvum. Si vero predicti omnes, quatuor vel tres ex eisdem iuramento firmaverint quod predictum ius fori, secundum quod ex relatione fide dignorum acceperunt, comiti Ber. prenotato seu dominis de Niphen pertinuerit, homines seu coloni predictorum

de Salem in dicta villa coram nostro sculteto super quacumque causa iuri stare de cetero nullatenus compellantur, sed sint liberi sicut et possessiones ipse, quibus nos presentibus libertatis ius recognoscimus plena fide. Super expensis etiam, quas dicti de Salem in lite fecerunt et interesse in venerabilem in Christo dominum abbatem de Cesarea et nobilem virum Swiggerum de Gundelvingen predictum compromisimus concorditer, ita quod illi inspectis laboribus et expensis quod bonum esset secundum claritatis sue consilium ordinarent. Illi vero arbitrati fuerunt, quod nos sepredictis de Salem in refusionem expensarum suarum et interesse in festo beati Galli unam carratam vini de vino quod nobis crescit in vinea dicta Criegesberch daremus, quod et nos facturos promittimus per presentes. Verum super dampnis ipsis vel hominibus se[u]^a colonis possessionum sepredictarum per nos vel nostros a tempore cepte litis illatis in partibus transalpinis, virum strennuum Wolframum, Marquardum et Rûdegerum Rûpertum predictos unâ cum predicto domino abbate ad hoc elegimus, quod illi dampnis sibi illatis debite declaratis tempus solutionis nobis constituent et si omnes tres consentire in tempore non potuerint, duorum sententia si concordaverint maneat inconcussa. Et ne de predictis videlicet arbitrio super foro iudiciali facto super refusione expensarum iam dicta et solutione dampnorum in terminis constitutis per prefatos arbitros aliquid immutetur, viros strennuos Wolframum de Ebersperch, Eber. de Stöffeln, Bertoldum von dem Steine, Ulricum dictum Spâte milites et Cûnradum de Liebenowe nobilem prefatis de Salem fideiussores constituimus ita, quod, si nos aliquid de predictis immutaverimus et tres fideiussores, videlicet sepredictum Wolframum von dem Steine et duos cives de Ezzeligen ydoneos, iam dictis fideiussoribus non associaverimus infra mensem et si litteram post inquisitionem super iure fori iudicialis factam, si tamen predicti inquisitores eis ius fori recognoverint ut dictum est, ipsis sub nostro sigillo non dederimus, in obstagium se recipiant in Ezzeligen in Gamundiam in Rutelingen vel in Kilchain aut alibi de licentia tamen abbatis sepredicti nunquam inde recessuri, donec impedimentum quod ipsis in quocumque predictorum articulorum emerit de medio sit sublatum. Si etiam aliquis de predictis fideiussoribus ex iusta et legitima causa per aliquot dies absentare se voluerit, unum eque ydoneum in locum suum subrogabit et si aliquis ex eis quod absit^b viam universe carnis ingressus fuerit aut cesserit, alium infra mensem in locum illius subrogare debemus eque bonum, alioquin duo ex hiis qui superstites fuerint in obstagium se recipere tenebuntur in aliquo predictorum locorum nunquam inde recessuri donec id effectui fuerit mancipatum, quod et se facturos promiserunt iuramento prestito corporali, fraude ac dolo circumscriptis

^aVorlage *se*.

^bDie Worte *ex-absit* am Rand nachgetragen.

III

penitus in premissis. Adiectum est etiam, quod quamdiu arbitri supradicti super iure fori iudicialis non fuerint arbitrati tamdiu homines sepedictorum de Salem in possessionibus sepefatis residentes iuri stare coram nostro sculteto nullatenus compellantur aut per nostros aliquatenus molestentur. Renuntiamus preterea ex superhabundanti omni iuri tam in genere quam in specie, quod nobis ratione communitatis in possessionibus sepedictis in Nuirtingen, quas iidem de Salem a domino de Niphen comparaverunt, competebat vel competere videbatur, pro nobis nostrisque heredibus universis promittentes bona fide, quod possessiones ibidem, quas cum eis communes habemus, infra mensem dividamus, salvo tamen nobis iure arandi in eisdem agris hactenus observato, exceptis dumtaxat hominibus seu colonis dominorum de Salem, quia servitio arandi liberi esse debent, et quod litteras, quas coram serenissimo R. dei gratia felicis recordationis rege Romanorum¹ obtinuimus et quas coram serenissimo Adolfo eadem gratia nunc rege Romanorum obtinuimus, reddamus nunquam ipsos de cetero ibi vel alibi gravaturi. In cuius facti evidentiam hanc litteram sigillo nostro et sigillo domini abbatis sepefati fecimus communiri. Actum in Ulma, anno domini MCCLXXX quarto, dominica qua cantatur Reminiscere, indictione quarta², hiis testibus presentibus, videlicet nobili viro Burchardo comite de Hohenberch, viro strenuo Walthero de Urbach milite, Echardo de Hübach milite, Alberto plebano de Râms, Cûnrado de Barchusen notario, Burchardo de Campidona, Ūlrico de Uberlingen, Dietrico de Bermetingen monachis in Salem, fratre Cûnrado converso ibidem aliisque pluribus fide dignis. Nos frater Ūlricus abbas et conventus de Salem prenotati omnia premissa vera esse profitentes obligamus nos, quod si venerabilis in Christo pater dominus abbas Cesariensis, qui vice nostra domino de Wirtenberch promisit, quod nos, si arbitri sepedicti ius fori iudicialis sibi dixerint pertinere, super hoc sibi litteram nostram demus, cesserit vel decesserit, antequam ipsi fuerint arbitrati, quod nos statim pronuntiatione facta, si litteram non dederimus, cellerarium nostrum maiorem in Ezzelingen mittamus nunquam inde recessurum, donec id per nos fuerit adimpletum. Et in evidentiam premissorum sigillum nostrum huic appendimus instrumento. Hoc etiam adiecto, quod predicti tres, in quos super dampnis compromissum est, infra mensem proximum de dampnis inquirere et terminos solutionis et tempus constituere teneantur, alioquin fideiussores predicti, si per nos comitem Eberhardum predictum steterit, moniti in obstagium ut dictum est supra se recipere teneantur.

 Datum anno et die prenotatis.

¹Diese Urkunden sind natürlich nicht erhalten, sondern wohl damals vernichtet worden.

²Vielmehr: *septima*.

IV

Der Textabdruck folgt dem Original.

 An der Urkunde das Siegel des Grafen Eberhard von Württemberg, vgl. Alberti: Adels- und Wappenbuch, Tafel 2, Nr. 5. Ein zweites Siegel war nie angebracht.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 135 U 9

Editionen:

Codex diplomaticus Salemitanus, Bd. 2, S. 447, Nr. 869.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ulm

Ortsindex:

(Burg) Württemberg Wüstung (21519)
 (Burg) Württemberg, Stuttgart, S, W
 Bad Urach Wohnplatz (15999)
 Bad Urach, RT
 Bebenhausen Wohnplatz (16199)
 Bebenhausen, Tübingen, TŪ
 Berghausen Wohnplatz (5537)
 Berghausen, Pfinztal, KA
 Bermatingen Wohnplatz (17796)
 Bermatingen, FN
 Ebersberg Wohnplatz (1296)
 Ebersberg, Auenwald, WN
 Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)
 Esslingen am Neckar, ES
 Gundelfingen Wohnplatz (15913)
 Gundelfingen, Münsingen, RT
 Gönningen : Reutlingen RT
 Gönningen Wohnplatz (15973)
 Heubach Wohnplatz (4548)
 Heubach, AA
 Hohenberg Wüstung (26307)
 Hohenberg, Schömberg, BL, W
 Kaisheim, DON
 Kempten (Allgäu), KE
 Kirchheim unter Teck Wohnplatz (373)
 Kirchheim unter Teck, ES
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Liebenau Wohnplatz (18075)
 Liebenau, Meckenbeuren, FN
 Neckarrems Wohnplatz (1199)
 Neckarrems, Remseck am Neckar, LB
 Nürtingen Wohnplatz (421)
 Nürtingen, ES
 Rechtenstein Wohnplatz (16926)
 Rechtenstein, UL
 Reutlingen Wohnplatz (15981)
 Reutlingen, RT
 Ruine Hohenneuffen Wohnplatz (408)
 Ruine Hohenneuffen, Neuffen, ES
 Schloss Salem : Salem FN
 Schloss Salem Wohnplatz (18257)
 Schloß Ebersberg, Auenwald, WN
 Schwäbisch

VI

Gmünd Wohnplatz (4879)
 Schwäbisch Gmünd, AA
 Ulm
UL
 Ulm Gemeinde (16620)
 Unterurbach, Urbach, WN

Urbach WN
 Urbach Gemeinde (1608)
 Überlingen Wohn-
platz (18447)
 Überlingen, FN